Innocentius episcopus seruus seruorum dei. dilecte in Xpo filie Irmengardi abbatisse monasterii sororum martyrum Georgii et Pancratii de Kakelunge, et sororibus sibi regularitate successuris in abbatiae regimine. In apostolicae sedis specula disponente deo constituti, rea paternorum canonum nos conuenit decreta libenter, ut omnibus sua iura seruentur, nulli quantum in nobis est iniuria inferatur. Quanto autem apostolicae sedi minor reuerentia ab omnibus ecclesiis exhibetur, tantomagis meam curam nos decet esse solicitos, ut ipsam pace atque quiete attentius laboremus. Quam ob rem dilecta in domino filia Irmengardis abbatissa, tuis uotis paterna benignitate impertimur assensum, monasterium sancti Georgii et Pancratii cui utique auctore deo praesides, a nobili uiro comite Bernardo fundatum, tam a ipso quam etiam a suis successoribus atque comitibus, uidelicet Theodorico atque Heliperico dictatum, eiusdemque Heliperici filius iudex Conradus marchione atque Bernardus simul deuotionis intuitu immediatum comutatum, ad tuitiam beati Petri nostramque iudicamus, et presentis scripti paginam communimus. Statuentes, ut ordo monasticus secundum beati Benedicti regulam in eodem loco preteritis temporibus inuiolabiliter conseruetur. Quaecumque praeterea bona, quascumque possessiones, ex dono predictorum uirorum idem monasterium in presentiarum canonice possidet, aut alium uirum quecumque ex in futurum concessione pontificum, liberalitate regum, ut principum, oblationibus fidelium, aut aliis iustis modis prante deo poterit adipisci, firma tibi tuisque sororibus in abbatiae regimine successuris, illibata permaneant. Obeunte uero te nunc eiusdem loci abbatissa, ut quaelibet sororum tibi in eodem regimine succedentium, nulla ibi quauis surreptionis arte, uiolentia preponatur, nisi qua sororum communi assensu, aut pars consilii sanioris, secundum deum et beati Benedicti regulam supradicta elegerit. Obitum quoque in prona religione electione fuerit, obseruari censemus. Nulli omnino hominum liceat, praefatum uirum monasterium temere perturbare, aut eius possessiones auferre, uel ablatas retinere, minuere, seu quibuslibet molestiis fatigare. Sed omnia integra conseruentur, eorum pro quorum sustentatione et gubernatione concessa sunt usibus profutura. Siquis autem ecclesiastica secularisue persona huius nostre constitutionis paginam sciens, contra eam temere uenire tempta uerit, secundo tertioue commonita, si non presumptionem suam congrua satisfactione correxerit, potestatis honorisque sui periculum patiatur, reamque se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, sacratissimo corpore et sanguine dei ac domini redemptoris nostri Iesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districte ultioni subiaceat. Conseruantes autem hec omnipotentis dei et beatorum apostolorum eius Petri ac Pauli benedictionem et gratiam consequantur. Amen.

Ego Innocentius catholice eccl. episc.

Ego Gregorius diac. card. Scorum Sergii et Bacchi.

Ego Theobaldus Rufinae episc. Ego Otto diac. card. Sci Georgii ad Velum Aureum.

Ego Guido diac. card. Scorum Cosme et Damiani.

Ego Gerardus presb. card. tit. Sancti Laurentii in Lucina.

Ego Albicus hostiensis episc.

Ego Lucas presb. card. tit. Sancti Johannis et Pauli.

Ego Bisantius presb. card. tit. Praxedis.

Ego Guido presb. card. tit. Sancti Laurentii ad Damasum.

Ego Iubaldus diac. card. Sancti Adriani.

Datum per manum Iohannis sancte Romane ecclesie diaconi cardinalis, cancellarii, IIII. idus Ian., indictione tertia decima, incarnationis dominice anno millesimo centesimo tricesimo octauo, pontificatus uero domni Innocentii pape II. anno decimo.



Riproduzione ad uso della Scuola Vaticana di Paleografia

30A